



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006



PRIMA COLLECTIO
 DECRETALIUM
 INNOCENTII III.
 ROMANI PONTIFICIS

Ex tribus primis regestorum ejus libris composita
 à RAINERIO Diacono & monacho Pomposiano.

*Nunc primùm in lucem edita ex vetustissimo codice M S.
 Sancti Theodorici Remensis.*

P R Æ F A T I O.



VENERABILI viro, scientia & morum honestate præclaro, Domino Jo. Dei gratia sacerdoti & monacho, reverendo Domini Papæ Capellano, RAINERIUS Diaconus & monachus Pomposianus, post secundos vitæ præsentis successus, æternæ felicitatis gaudium obtinere. Cupientes nonnulli, qui de diversis & ultimis etiam mundi partibus ad apostolicam sedem accedunt, audire sapientiam nostri temporis Salomonis, necnon & multo alij honesti viri atque prudentes, qui nobiscum præsentialiter conversantur, justitias & judicia ipsius in scriptis habere, me vobiscum pariter suis precibus induxerunt ut aliquod temporis spatium aliis occupationibus meis subripiens, in eis ordinandis expenderem & in uno volumine sub certis titulis compilandis. Quorum votis, meæ conditionis conside-

rans famularum, sicut debui, tam devotè quàm humiliter obedi, & ad laudem & gloriam nominis ejus, legentiùmque profectum, quæque optima ex registris ejusdem, primi videlicet, secundi, & tertij anni, defflorans, in hoc opusculo plenissima, quantum ad Decretales & Decreta pertinet, auctoritate congesti; licet quædam, quia diversos in se continent casus, intercidenda duxerim, ut sub competentibus sibi titulis locarentur. Ex sententiis autem & quibusdam epistolis partes illas quæ ad jus faciunt dumtaxat accipiens, præmissis competenter aptani; dictumque opusculum, quia plus ceteris institisti ut me, licet ægrotum, vix quiescere permiseritis, & artioris mihi estis vinculo caritatis astrictus, vobis primò direxi. Titulos autem ejusdem sub uno aspectu locavi, ut ad inquisitionem cujuscumque rei quam continet aliquod videar compendium attulisse,